

tur, eò qvod prædicatum sit gentibus tām Orientalibus, qvām Occidentalibus, tām Septentrionalibus, qvām meridionalibus. Idem dicit Maldonatus in Comment. super Matth. cap. XXIV. 14. Non potuisse hoc fieri in omnibus viciis, & superiori seculo fuisse multas gentes, qvibus ne semel prædicatum Dei verbum, & adhuc inveniri. Si qvāras causam, cur non omnibus Evangelium si prædicatum? Calviniani non eam esse dicunt obstinatam gentis rejecta malitiam, qvam tamen Scriptura S. ipsa met dictitat Matth. XXIII. 37. *Q*uoties volui te congregare, ut Gallina suos pollos, sed noluisti, Et Ose. XIII. 9. Perditio tua ex Te Israël; sed ad nudum & merum Dei beneplacitum referunt ut videre est ē Canonibus Dordrechtanis cap. I. de Prædest. can. 8. & 9. qvibus r. futant expressè ens, qvi docent: Deum neminem ex mera justa sua voluntate decreuisse in lapsu Adæ & in communis peccati & damnationis statu relinqvere, aut in gratiæ ad fidem & conversionem necessariæ communicatione præterire. Et paulò post eos qvoq; damnant, qvi docent, causam, cur Deus ad hanc potius, qvām ad aliam gentem mittat Evangelium, non esse merum & solum Dei beneplacitum, sed qvod hæc gens melior & dignior sit ea, cui Evangelium non communicatur. Idem dicere coguntur Pontificii salvâ isthâc hypothesisi, nec aliam prætendit Bellarm. l. 2. de grat. & libr. arbitr. c. 2. dum expressè dicit propositione secundâ: *Auxilium gratia DEi non æqualiter omnibus adest.* Et provocat posteà ad eadem Scripturæ dicta, qvibus Calviniani suam probare satagunt sententiam de absoluto decreto, ex Matth. XIII. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem non est datum. Et ad Rom. IX. Cujus vult, miseretur, & qvem vult, indurat &c. adeò ut mirum, tantum Cardinalem sui partim fuisse obliviousum, dum cap. I. se & plerosq; alios Theologos (qvos vocat) Catholicos ab hâc sententia alienos esse dicit; partim injuriousum, dum Megalandro nostro eandem malitiosè ascribere non veretur, & cum Calvino conjungit, quasi una istorum fuerit sententia. Nos hîc in iis refutandis prolixí non erimus, sed pro Universalitate Vocationis Evangelicæ asserendâ sequentia tantùm annexemus, scil. qvod à nobis sufficiat mandatum DEi univ ersale, ut omnibus annunciatus